

*Chorazita*, Domine, quare inveheris in nos tantopere, & succenses, quod non agamus pœnitentiam, cum tamen culpa non in nobis, *sed in te hereat*, manifestas quidem externe nobis voluntatem patris per verbum, & virtutes, *sed occultas nobis internè mysteria regni tui*, qua occultatione stante tam nobis impossibile est pœnitentiam agere, & in te credere, quam impossibile est, mortuum respirare, fac periculum, & manifestationi externæ adde internam, & tum si non pœnitentiam sumus acturi, habebis quod nobis succenseas. *Spanhemius* quidem conatur salvare exprobrationem Christi, quod pro objecto habeat *malitiam Galilæorum*, tanquam *causam proximam rejectionis* revelationis externæ. At stare ista minimè possunt; Dicuntur enim rejecisse verbum à Christo prædicatum urbes istæ, & si inquirimus in *causam*, unde hoc factum, *mentio fit malitiæ*; ulterius tamen pergendo, unde malitia ista orta sit, itur ad *Eudoniæ DEI*, tanquam causam summam & ultimam, malitiã illam infringentem in his, non infringentem in aliis ex absoluto beneplacito; quæri autem h. l. potest, an Galilæi isti *destituti gratiã internã*, nihilominus potuerint acceptare revelationem externam, & se eidem accommodare, vel annon ad acceptandam gratiam externè oblatam prorsus necessaria fuerit virtus collata à gratia intus operante, quod aliàs strenuè urgere solent Reformati; nolens volens itaque videtur incidere *Spanhemius* in *casus Amyraldi* statuentis, DEUM quidem externè revelare mysteria regni sui, non autem internè, quod ipsum titulo illusoriæ gratiæ insignivit, dum egit contra Adversarium suum. Ut autem rem compendificamus, negamus culpam Galilæos nostros *ob hoc solum*, quod malitiosè rejecerint revelationem externam, cum culpam sint *ob non actam pœnitentiam*, quam Christus adhibito ordinario verbi legalis, & Evangelici medio, miraculis multis stipato, voluit in illis operari, ut ita *gratiæ intus operari volenti malitiosè quoque resistere*.

XVII.

Provocat in subsidium causæ suæ *Spanhemius* ad vers. seq. 25. 26. *Cum DEUS innumeris Spiritum sapientiæ non sit impertitus, nec voluerit impertiri, quem indulget infantibus, & ideo manifest*